



1.
2. v
3. v
4.
5.
6.
7. 1
17
1.
n



21
Q. B. V. D.
DISSERTATIO. METAPHYSICA
1742, 6.
CONCILIATAM. CVM. PERFE.
CTIONE. AC. IMMVTABILITATE
RELIGIONIS. NATVRALIS. EXSISTENTIAM
REVELATIONIS. IMMEDIATAE. PRAE.
CEPTORVMQVE. HVIC
PROPRIORVM

CONTRA

MATTH. TINDALIVM

SISTENS

QVAM

SVB. AVSPICIIS. DIVINIS

CONSENTIENTE. AMPLISSIMO. PHILOSOPHORVM
ORDINE

IN. ILLVSTRI. AD. VARNVM. ACADEMIA

D. XIX. SEPTEMB. A. M DCCXLII

HORA. LOCOQVE. CONSVETIS
PVBLICE. TVEBVNTVR

PRAESES

P 536
IO. IACOBVS. QVISTORPIVS

PHILOS. MAGISTER. ET. SOCIETATIS. TEVTONICAE
QVAE. IENAE. FLORET. MEMBRVM

ET. RESPONDENS

THEODORVS. IOANNES. QVISTORPIVS

PHILOS. ET. LL. CVLTOR

ROSTOCHII
STANNO. ADELERIANO



DISSECTATIO METAPHYSICA
CONCILIATAM CVM PERFE-
CTIONE AC IMMUTABILITATE
RELIGIONIS NATURALIS EXISTENTIAM
REVELATIONIS IMMEDIATE TRAE
GEBT GRVNDVORV HVIC
PROLOGVM

MATTHE TINDALIVM

SISTENS
SVB VSYNTHI DVBIIS
CONSONANTE AMPLISSIMO PARMENSIVM
ORDINE
IN ILVSTR. AC VARNVM-ACADEMIA
D. XIX. SEPTEMB. A M. DCCXLI.
HON. FACVLT. CONVICT.
PABLICE TYPENTVR
PRESSES
IO. JACOBVS QVSTORPVS
RINOS. MAGISTR. ET. SOGIVM. ET. TYTONICAE
GIVS. IN. AN. LIBR. M. K. V. M. V. M.

ET. RESPONDENT
THEODORVS IOHANNES QVSTORPVS

ROSTOCKI
STANVS HOELERIANO



INCLYTAE
VRBIS. PATRIAE. ROSTOCHII,
AMPLISSIMO. SENATVI

VIRIS
MAGNIFICIS. PRAENOBILISSIMIS. EX.
CELLENTISSIMIS. CONSVLTVS.
SIMIS. PRVDENTISSIMIS

DOM. CONSVLIBVS
DOM. SYNDICIS
DOM. SENATORIBVS
DOM. PROTONOTARIO
DOM. SECRETARIO

VIRIS
DE. REPUBLICA. ET. PATRIA. IMMORTA.
LITER. MERITIS
FACTORIBVS. PATRONIS. AC
MAECENATIBVS

AETERNVM. SVSPICIENDIS. DEVENERANDIS

VINDICIAS. HASCE. REVELATIONIS
METAPHYSICAS

VTI. DEVOTI. PARITER. ATQVE. OBSTRACTI
ANIMI. OBSIDES

PIA. MENTE

SE. SVAQVE. STVDIA. COMMENDATVRVS
VETERVM. MORE. CLIENTVM

D. D. D.

PRAESES

M. IOANNES. IACOBVS. QVISTORPIVS

PRAEFATIO.



* * * * *

QVAE doctrinis sanae rationis superstruuntur, & ad impugnandam reuelatam religionem componuntur argumenta, eorum sane tanta est vis atque efficacia ad eam euertendam, vt, quae a nulla re, ab his metuere oporteat religionem reuelatam. inest in veritatibus rationis sanae euidencia quaedam, quae intellectum allicit. quae consensum extorquet, quaeque hunc in modum mentem occupat, vt persuaderi sibi non sinat, quae sibi constare cum illis non posse videntur. quare, simulac ea inter, quae sana ratio docet, ac inter praeepta reuelationis intercedentem aliquam pugnam obseruare credit mens humana, sponte sua propendet, atque adeo facillimo negotio inducitur ac impellitur, vt suspectam credat reuelationem, vt contemnat, vt deserat eandem. pessum quoque data foret hac ratione religio reuelata dudum, penitusque explosa; quum visa semper fuerit plurimis cum naturali pugnare: nisi obstitissent, quos nacta est religio reuelata, cultores atque defensores, & in his summorum nominum viri bene multi, qui singuli omnes animi vires, omnemque eruditionis apparatus eo contulere, vt quaeuis religionem reuelatam inter ac naturalem pugna euanescat, vt intimior vtriusque consensus luce meridiana clarior patefiat, atque adeo, vt haec pro illa causam dicere cogatur. dignum sane omnibus, qui reuelationem venerantur, opus! optimaque bene de illa merendi ratio! dubiis enim ex ratione contra reuelationem petitis, meliori successu, quam ipsis rationis sanae principiis obuiam ibit facile nullus. haec omnia nobis ad animum reuocantes, nostrarum esse partium, pro eo, quo in reuelatam religionem ferimur adfectu, putauimus, dignitatem illius, vocatis in subsidium solis rationis sanae

A

nae

nae doctrinis, sartam tectamque seruare. quo quidem in negotio non inanem nos operam acturos esse speramus. neque enim defuere vnquam, nec defunt hodie, qui impio consilio ad labefactandam, nefas! reuelationis auctoritatem, atque ad eripiendam humano generi omnem, quae ista nititur, religionem aciem, animum, neruos, atque studia intenderunt. inuenti ab omni retro sunt aeuo, & inueniuntur, proh dolor! hodie, qui ad aeternas atque euidentissimas rationis veritates prouocant, eo quidem fini, vt, quum easdem apud vnum quemque locum sine mora inuenturas esse praeuideant; exinde, quemadmodum id sibi quisque consultum putat, euincant, aut existentiam reuelationis cuiusdam, aut doctrinas atque praecepta illius, quae vulgo recepta est, reuelationis, conciliari cum principiis rationis sanae non posse. eandem hanc viam ingressa est semper defudans in perniciem religionis reuelatae infelix NATVRALISTARVM cohors: vix tamen in ea quisquam longius processit, quam nostra aetate MATTHAEVS TINDALIVS. testatur id liber ab ipso anglice 1730, in lucem editus, cuius superiori anno versio germanica prodit LIPSIAE, quique in vernacula nostra inscribitur: *Bevveis, daß das Christenthum so alt, als die Welt sey.* huic enim, si iustum statuere pretium licet: fatendum omnino est, TINDALIVM in eo tanta eruditione, tanta solertia, tanto ingenio, tantoque a lumine vsu esse, vt liber ipse, prae reliquis, naturalismi in formam artis redacti speciem mentiat, ac nomen prope mereatur. de vita TINDALII, de scriptis ipsius, de fatis libri, quem modo memorauimus, de motibus, quibus iste in ANGLIA ansam praebuit, nec non de scriptis ibidem ipsi oppositis, copiose hic multa adferre, a seopo nostro alienum putamus. collecta deprehenduntur, quae huc spectant, potiora, vt ANGLOS taceam, *Tom. XII. de la Bibliothéque raisonnée p. 234. 235. in atlas eruditorum anni 1733. p. 526. in den kurzen Fragen aus der Kirchen-Historie Des neuen Testaments, in der ersten Forsetzung, p.*

1310. *sqq.* apud celeb. CHRIST. KORTHOLT, *diff. de MATTH. TINDALIO*, LIPS. 1734. *habita*, itemque apud *interpretem TINDALII lippsensem in dem Vorbericht p. 104. sqq.*; ad quos remittere nobis liceat, quibus plura de his legere volupe est. quod autem ad systema ipsius adinet, totus in eo est TINDALIVS, vt immediatam aliquam reuelationem indignum DEO opus esse, atque speciatim quidem christianam, quae dicitur, reuelationem criteriis destitui verae reuelationis, euincat, fatetur quidem passim, fieri posse, vt DEVS immediatam det hominibus reuelationem; adhibet christianismi & euangelii nomina; videri vult, vtriusque dignitatem stabilire, ac cum principiis rationis sanae consensum confirmare: verum enim vero, ponderatis rite omnibus, abunde patet, non nisi vt inuolucris his omnibus vi eundem, quo eo tutius veram de reuelatione sententiam suam proponere, atque ad euertendam istam per insidias viam munire sibi possit, quum, palam illud moliri, non vacare periculo videret. neque enim re ipsa solum scripturam sacram, qua nititur religio christiana, permultorum eorumdemque insignium arguit vitiorum; videliber, quod sacrificia humana adprobans patrocinetur superstitioni. cap. VIII. p. 157. *sqq.* quod communissimis experientiiis veritatibusque in vniuersum notis contradicat. cap. XII. p. 356. 357. quod densissima sit innoluta atque laborete obscuritate cap. XIII. p. 403. *sqq.* quod actiones summo numini tribuat infinitis eius perfectionibus maxime indignas, atque adeo grauissima flagitia. *ibid.* p. 429. *sqq.* 440. *sqq.* quod testetur, DEVM praecepisse hominibus, quae in se nimis abscondita sunt, atque cum natura humana, officiiisque naturalibus pugnant. *ibid.* p. 438. 439; quae quidem meo, si quod est, iudicio animum eius reuelationi, qua gaudemus, infensum, ab eademque longe alienissimum optime declarabunt: verum generatim etiam quamuis admittere reuelationem recusat, quae non continet exacte & in singulis cum religionis naturalis doctrinis, quae

suo ambitu, vel plura, vel pauciora isthac, complectitur, quaeque alia forsitan ratione, quam solo, quo vtraque innotescit, modo, ab hac differt. Nach meinem Begriff inquit p. 4. ist dieselbe (die natürliche Religion) von der geoffenbarten Religion nicht weiter unterschieden, als nach der Art der Bekanntmachung, die eine besteht in der innerlichen, und die andere in der äußerlichen Bekanntmachung des unveränderlichen Willens eines Wesens, welches zu allen Zeiten gleich unendlich weise und gut ist. ecquis autem non videt, eumdem hoc pacto omnem simul reuelationem superuacaneam ac nullius prorsus vsus pronunciare. huc itaque collineant omnia, quae in medium adfert TINDALIVS, atque hic est verus, quem sibi proposuit, finis, vt omnem reuelationem, omnemque, quae reuelatione nititur religionem, in contentum adducat, & e medio tollat. excitati sunt pessimo hoc TINDALII consilio, quibus curae est cordique religio reuelata, in ANGLIA plures, ex nostratibus pauciores quidem, at de sanctiori doctrina VIRI immortaliter meriti, quumque non vnus sint generis, quibus insurgit iste, argumenta, quumque vndiquaque conquirat ac cumulet, quae ad perniciem religionis reuelatae facere videbantur: vniuersum alii eius systema refellendum sibi sumere; alii in singulari quodam illius momento excutiendo substiterunt. prius vt praefaret, allaborauit inter alios IAC. FOSTERVS verbi diuini apud ANABAPTISTAS in ANGLIA minister in der Vertheidigung der Nutzbarkeit, Wahrheit und Vortreflichkeit der christlichen Offenbarung; quod quidem scriptum non memoro, nisi quod eius copia ope versionis vna cum TINDALIO nobis est facta, neque tamen sine adhibita cautione atque circumspectione legendum. ad posteriores vero referendi nobis omnino sunt, qui ex nostratibus se inpiis TINDALII conaminibus opposuere. ita enim S. V. GOETTINGENSIVM antistes GEORG. HENR. RIEBOVIVS in dem gründlichen Beweiß, daß

Daß die geoffenbahrte Religion nicht könne aus der Vernunft erwiesen werden, §. 50. *sqq.* argumentum TINDALII ex summa religionis naturalis perfectione petittum infringere, ac religionem naturalem non esse perfectam euincere studuit. ita S. V. PLOENENSIS ecclesiae superintendens PETR. HANSSENIVS, *meditatione de differentia religionem naturalem inter ac reuelatam vera & reali* §. X. *sqq.* adfertum TINDALII, quod religio reuelata, si quidem vera fit, non aliam quam ipsa naturalis esse possit, sub censuram vocauit. ita etiam nuperrime S. R. atque EXCELL. noster IO. HENR. BECKER, *programme passionali*, p. 4. 5. 6. quae circa officium mediatorum, circa redemptionem & satisfactionem CHRISTI cauillatus erat TINDALIVS, paucis notauit & horruit. commendarunt nobis tantorum virorum exempla eandem, quam ipsi ingressi sunt, viam, nosque mouerunt, vt, vestigia eorum premere cupidi, pariter in peculiare aliquod TINDALII argumentum inquirere apud animum constituerimus. est nimirum primum eius, nisi nos omnia fallunt, principium, quod paucis cap. I. p. 5. *sqq.* exponit, & copiosius per vniuersum cap. VI. persequitur, quodque his comprehendimus verbis: *reuelatio, quae praecipit diuersa a praeceptis religionis naturalis, pugnat cum huius perfectione ac immutabilitate.* neque enim solum aditum sibi ad reliqua, quibus reuelationem oppugnat, eodem parat: verum etiam subinde iterum ad illud sese recipit; potiora eidem superstruit, indeque ad denegandam istiusmodi reuelationi diuinam originem concludit. quae quum ita sint, plurima, quae contra religionem reuelatam molitur TINDALIVS, corruere ac irrita fore nobis videntur: simulac constare cum perfectione ac immutabilitate religionis naturalis posse reuelationem aliquam dederimus probatum. tetigit quidem iam, quae huc pertinent FOSTERVS, l. c. p. 377. *sqq.*; sed pauciora sunt, quae circa hoc momentum contra TINDALIVM disputat, neque haec ipsa obstabunt, quominus alia forsitan ratione obuiam illi ire queamus.

A 3

etiam

etiam non est, quin in tanto ANGLORVM numero, qui contra TINDALIVM scripsere, occurrant, qui hoc quoque momentum solide satis arguteque pertractarint. at enim vero expertes, quod ingenue fatemur, litterarum anglicarum, neque quid praestitum sit ab iisdem, disquirere, neque, quae praestita sunt, in vsus nostros conuertere licuit. duximus itaque operae pretium, conferre ad hoc negotium leuiores conatus nostros, optimeque nos partes nostras expleuisse vixi nobis erimus; quodam saltem si modo effecerimus, quae hac ex parte ad confirmandam atque tuendam reuelationis dignitatem faciunt. erit autem haec instituti nostri ratio: concedimus TINDALIO religionem naturalem esse perfectam; concedimus esse immutabilem; concedimus vtrumque eodem sensu, quo illud adserit iste. admittimus ea propter easdem, quas TINDALIVS suppeditat perfectionis atque immutabilitatis religionis naturalis notiones; quin immo ex suis istas principis eruere, ac ratiociniorum ope confirmare studemus. quo facto, demonstrare annisuri sumus, conceptum reuelationis immediatae diuersa a praeceptis religionis naturalis praecipientis non necessario inuoluere religionis naturalis imperfectionem atque mutabilitatem; siue, quod idem est, existentiam reuelationis praeceptorumque huic propriorum neque perfectionem neque immutabilitatem religionis naturalis tollere. est haec thesis sententiae TINDALII e regione opposita; quumque eandem ex communibus nobis cum ipso notionibus ac principiis deriuabimus: nullus hic amplius patebit ad logomachias receptus, ipsaque haec, quam paramus, demonstratio ad refellendum, quoad hoc momentum, TINDALIVM sufficere hac vice poterit. erat quidem nobis animus, coniungere cum verioris sententiae probatione peculiarem in oppositam TINDALII sententiam argumentaque, quibus pro ea dimicat, inquisitionem: sed instans respondentis ad MVSAS SALANAS abitus, ortaue hinc temporis penuria arctiores nobis limites fixit, dubiaque TINDALII nostram-

stramque ad ea responſionem opportuniori euidam occaſioni reſeruare iuſſi. praefentem interim laborem noſtrum vt cedere nobis ſinat feliciter DEVS T. O. M. ardentiffimis precibus; vt aequi bonique conſulat beneuolus lector, & quae forte minus accurate poſita ipſi videbuntur, in meliorem interpretetur partem, omni, qua par eſt, humanitate contentundus.

TRACTATIO.

§. I.

IS colere DEVM dicitur, qui ex motiuo perfectionum diuinarum actiones ſuas ſuſcipit: determinatus autem DEVM colendi modus audit religio; cuius ſpecies eſt, quam ſola ratio ſana docet, quaeque religio naturalis adpellatur. obligat ad hanc, quod DEVM colere iubet, ius naturae.

§. II. VOX rationis ſanae eſt etiam vox DEI. (conf. b. KOEHLERVS iuris natur. §. 359) quum igitur religionem naturalem ſola doceat ratio ſana (§. I.): DEVS quoque ipſe docere homines religionem naturalem cenſendus eſt.

§. III. DEVS eſt ſibi longe ſufficientiffimus, nec vllius rei extra ſe indiget (per def. ſufficientiſt.): qua propter, quidquid homines docet, non ſua, ſed eorum cauſa docere eos poteſt (per princ. theol. natur.). eſt porro ſummum benignus, promtuſque creaturis conferre bona (per def. benignit. & princ. theol. naturalis). quidquid proinde homines docet, id tendere debet in commodum atque felicitatem eorum. quum igitur DEVS ipſe doceat homines religionem naturalem (§. II.): religio naturalis non, niſi hominum cauſa, data erit, nec, niſi ad commodum atque felicitatem eorum prombuendam tendet.

§. IV. CONSENSVS variorum in vno dat perfectionem: conſenſus autem inuoluit tendentiam ad idem aliquod actuan-

actuandum. in diiudicanda igitur perfectione, tam ad varia entis, quae consentiunt, quam ad idem illud, ad quod actuandum ista tendunt, est habendus respectus. (per defin.)

§. V. IDEM illud, ad quod actuandum varia entis tendunt, dat rationem, cur singula in perfecto hoc potius sint modo quam alio; & hinc vocatur ratio determinans perfectionis per princ. ontolog. conf. excell. REVSCHIVS system. metaph. §. 115. 116). haec autem quum admittat gradus: gradus etiam in perfectione enasci possunt, ita, ut vna perfectio sit altera maior (per princ. ontol. conf. illustr. WOLFFIVS metaph. germ. §. 154.). habito igitur ad idem illud respectu, ad quod actuandum varia entis tendunt, (§. IV.) perfectio entis tunc erit summa, quando ratio determinans eiusdem summum agnoscat gradum, siue, quando varia entis tendunt ad idem aliquod in gradu summo actuandum.

§. VI. PERFECTIO postulat consensum variorum (§. IV.), ratione igitur variorum, quae consentiunt, perfectio eo erit maior, quo maior est numerus variorum consentientium. (conf. ILL. WOLFF. I. c. §. 713. *sqq.*). quum autem omnibus plura non dentur (per princ. contrad.): numerus variorum consentientium maior esse nequit, simulac omnia ista varia adsunt, quae ad idem aliquod actuandum requiruntur, & simulac omnia ista ad illud actuandum actu tendunt. summus igitur erit tunc consensus, & consequenter summa entis cuiusdam ratione variorum consentientium perfectio: quando omnia ista varia, quae ad idem aliquod actuandum requiruntur, & in ente quodam existunt, & ad idem illud actuandum ipso actu tendunt.

§. VII. DVPLEX itaque datur ratio, qua ens aliquod summum perfectum dici potest. primum enim summum perfectum esse potest in respectu ad idem illud, ad quod actuandum varia ipsius tendunt; nimirum quando ad illud in gradu summo actuandum tendunt (§. v.). deinceps vero ratione
etiam

etiam variorum consentientium; quando scilicet omnia ad idem illud actuandum requisita atque actu tendentia adfunt (§. VI.). uterque respectus dat conceptum perfectionis comparate summae. quum autem diiudicanda sit omnis perfectio ex respectu, tam ad varia entis consentientia, quam ad idem illud, ad quod ista tendunt, habito (§. IV.): quodsi utroque simul respectu ea est comparate summa; omni respectu atque absolute summa esse, censenda est.

§. VIII. DETERMINATIVS. DEVM colendi modus; quo constat omnis religio, inuoluit, ut etiam in religione naturali suscipiat homo actiones suas ex motiuo perfectionum diuinarum. (§. I.). actiones istae hac ratione ex motiuo perfectionum diuinarum suscipiendae, dant varia in religione naturali. quapropter quum religio naturalis tendat ad felicitatem hominum (§. III.): actiones istae, quas inuoluit, tamquam varia tendent ad felicitatem hominum, uti idem aliquod. tendentia ad idem aliquod dicitur consensus (§. IV.). in religione igitur naturali datur consensus variorum; & quum iste constituat perfectionem (§. cit.): per consequens etiam perfectio, seu religio naturalis est perfecta.

SCHOL. GENERALIORIBVS hisce de perfectione religionis naturalis praemissis: necesse erit, ut, quo in consistat ea proprie, pluribus euoluamus ac enumeremus. quod dum molimur: rogamus beneuolum lectorem, velit recordari, nos de concilianda reuelationis existentia cum perfectione religionis naturalis; non autem de ea refellenda & neganda, contra TINDALIVM disputare. postulabat vero haec instituti nostri ratio, eandem, quam TINDALIVS mente sibi conceperat, perfectionis religionis naturalis notionem, nostram facere. qua propter, si perfectionem religionis naturalis in sequentibus nimium extollere, atque TINDALIO iusto plura concedere, ac religioni naturali tribuere videamur: aequus rerum arbiter id nobis vitio minime vertet. neque enim ita illimitate forte de perfectio-

B

ne re-

ne religionis naturalis iudicium fuisset laturi nostrum, ac infra §. XVII. ferre necessitas iuber: nisi res nobis esset cum aduersario, qui istum sibi de ea conceptum formauit; qui pro eo vehementer dimicat, quique ex eodem cuncta sponte sequi credit, quae ad tollendam omnem reuelationem facere vnquam possent, quae quum ita sint: egregie confirmatam fore, credimus, causam reuelationis; si ne ex ipsis quidem TINDALI notionibus atque principiis ad negandam eius existentiam recte concludi, ostenderimus, eequid enim contra eam excipi poterit: haec ipsa, quae sibi postulat, si a veritate sunt aliena? vestigiis ergo ipsius insistentes, perfectionem religionis naturalis non considerabimus, nisi vti adfectionem ipsi eatenus tribuendam, quatenus a sapientia atque benignitate DEI infinita originem trahit, atque ad hunc suum auctorem referur; neglectis consulto omnibus eius limitibus ex praesenti virium atque status hominum, quibus concessa est religio naturalis, indole oriundis.

§. IX. IDEM illud, ad quod tendunt varia in religione naturali, est felicitas hominum (§. VIII. III). haec vero admittit gradus varios, &, vt reliqua taceam, vel ipsis huius vitae terminis definiri, vel latius vltra terminos vitae extendi potest. prius si posueris, habebis conceptum felicitatis temporalis; quae est gradus felicitatis humanae inferior. si posterius, ideam felicitatis aeternae; quae constituit felicitatis humanae gradum superiorem. idem illud proinde, ad quod tendunt varia religionis naturalis, aut est alterutra tantum species felicitatis humanae, nimirum, vel temporalis, vel aeterna; aut vtraque simul sumta. (per princ. exclus. med.)

§. X. AD felicitatem temporalem aptum efficiunt hominem ipsae animae rationalis facultates; aeternae vero felicitatis capacem illum reddit immortalitas animae ipsius (per princ. psychol.). vtriusque igitur felicitatis, aeternae non minus, quam temporalis, capax est homo. pro infinita autem benignitate sua tribuere vult DEVS creaturis tot tantaque bona,
quot

quot quantaque capere possunt (per princ. theol. natur.). qua propter dubium non est, quin hominibus aeternam aequae ac temporalem destinauerit felicitatem. quum igitur DEVS doceat homines religionem naturalem (§. II.) ad promouendam felicitatem eorum (§. III.); rationem praeter ea sanam sibi que relictam alia, praeter religionem naturalem, ignorare fuerit felicitatis aeternae media (per princ. philos. moral.): consequitur, religionem naturalem non minus ad aeternam, quam temporalem, tendere hominum felicitatem.

SCHOL. SI dicendum, quod res est, primarius atque proprius religionis naturalis finis non, nisi aeterna, erit hominum felicitas, quae enim ad promouendam ac stabilendam temporalem hominum felicitatem requiruntur actiones, ad eas suscipiendas motiua sat fortia, sat grauiua, abundeque sufficientia, rationi sanae suppeditat consideratio naturae rerum in mundo, & ceterarum actionum liberarum naturalium, consentiunt in eo, quotquot homines ad felicitatem suam informari atque obligari per naturam demonstrarunt, omnes in vniuersum philosophiae moralis doctores, quodsi igitur DEVS his naturae motiuis sat fortibus & sufficientibus superaddidisset motiua ex perfectionibus ipsius infinitis oriunda; quodsi religionem naturalem concessisset hominibus; neque tamen alium ad finem, quam ad quem obtinendum ista iam sufficebant, nimirum ad felicitatem hominum temporalem, eam direxisset: superuacanea atque abundans foret vniuersa religio naturalis. necesse proinde est, quum DEVS frustra faciat nihil, religionem naturalem ab ipso hominibus concessam tendere ad aliquid temporali hominum felicitate sublimius atque excellentius; quod quidem non aliud, ac aeterna eorum felicitas, esse potest, huius igitur causa praecipue dedit DEVS religionem naturalem, atque non, nisi ad hanc promouendam, proprie & directe tendit ista. id ipsum tamen non obstat, quo minus in temporalem etiam hominum felicitatem indirecte ac secundario, vt philosophi loqui amant, influere, atque ad eam confirmandam bene multa, eaque egregia, conferre possit.

§. XI. FELICITAS hominum aeterna summum constituit gradum felicitatis humanae (§. ix). quum igitur felicitas hominum det rationem determinantem perfectionis religionis naturalis (§. viii. v. iii.): & gradus in ratione determinante perfectionis summus summam det perfectionem comparate talem (§. v); religio autem naturalis tendat ad felicitatem hominum aeternam (§. x. & schol.): summa quoque hac ex parte & comparate talis est religionis naturalis perfectio.

§. XII. ACTIONES, quas suscipere ex motivo perfectionum diuinarum docet ratio sana, sunt varia ista, quae suo consensu atque tendentia ad felicitatem hominum aeternam actuandam, constituunt perfectionem religionis naturalis (§. viii. x. & schol.). summa autem ratione variorum consentientium non datur perfectio, nisi omnia varia, quae ad idem aliquid actuandum requiruntur, actu adsint, & actu ad illud actuandum tendunt (§. vi). perfectio igitur religionis naturalis, ratione variorum in ipsa consentientium, non foret tanta, quanta esse potest, nisi omnes istas actiones ad promouendam felicitatem hominum aeternam requisitas & tendentes suo ambitu complectatur.

§. XIII. RELIGIONEM naturalem &, quod sequitur, actiones, quas complectitur ea, ope rationis sanae docet DEVS homines ea propter, vt felicitatem suam aeternam iisdem promoueant. (§. x. iii. ii.). id vero, propter quod agit causa efficiens, audit finis (per defm.): quem ad modum ea, per quae finis existentiae datur, media adpellantur (per defn.). felicitas proinde hominum aeterna est finis DEI, cui religionem naturalem, & actiones, quas ista praecipit, tamquam media, subordinauit.

§. XIV. OMNISAPIENTEM venerari DEVM iubet theologia naturalis. vi omnisapientiae vero suae DEVS optimo fini optima semper atque sufficientissima subordinat media (per def. omnisap.). finis DEI religionem naturalem docentis est felicitas hominum aeterna (§. xiii.). media ergo, quae

quae felicitati hominum aeternae subordinavit, erunt, & optima, & sufficientissima. subordinavit autem ei religionem naturalem, & actiones, quas ista complectitur, tamquam media (§. XI II). religio itaque naturalis, atque, vna cum ea, actiones, quae ad eam pertinent, optime sufficient felicitati aeternae ab hominibus obtinendae, necesse est.

§. XV. SUFFICIENTISSIMA media non, nisi ea, sunt, quibus adhibitis ad existentiam finis nil aliud requiritur (per defin. medii, & rationis sufficientis). quum igitur religio naturalis actionesque ad eam pertinentes optima sint atque sufficientissima ad promovendam felicitatem hominum aeternam (§. XIV): consequitur, susceptis, quas complectitur religio naturalis, actionibus, nil requiri aliud ad felicitatem hominum aeternam.

§. XVI. IN religione naturali praeter actiones, quas ea complectitur, nihil requiritur aliud ad actuandam felicitatem hominum aeternam (§. XV). complectitur ergo omnia ad actuandam hominum felicitatem aeternam requisita & tendentia. (per aequipoll.) hoc ipso autem quum perfectio religionis naturalis, ratione variorum in ipsa consentientium, fiat tanta, quanta esse potest, siue summa (§. XII.): ratione etiam variorum in ipsa consentientium religionis naturalis perfectio est summa.

§. XVII. SUMMA proinde est religionis naturalis perfectio ratione variorum in ipsa consentientium (§. XVI). summa est etiam eadem in respectu ad idem illud, ad quod actuandum varia ipsius tendunt. (§. IX. XI.). quum autem perfectio entis, quod utroque simul respectu summe est perfectum, omni respectu atque absolute summa pronuncianda sit (§. VII): religionis etiam naturalis perfectio omni respectu atque absolute summa esse, censenda est. quo in consistat autem perfectio haec religionis naturalis omni respectu atque absolute summa, ex superioribus facile patebit. postulat, ut determinatus iste, quem sana ratio docet, DEVM colendi modus, qui constituit religionem naturalem, tendat ad felicitatem.

tem hominum, potissimum, aeternam. (§. ix. x. & schol.). postulat, vt haec de omnibus exacte praecipiat actionibus, quae, vt istiusmodi felicitas ab homine actu obtineatur, necessario requiruntur, atque sufficiunt. (§. xvi. xii). quae si ad summam collegeris omnia, collocanda erit perfectio religionis naturalis omni respectu atque absolute summa in sufficientia eiusdem ad felicitatem hominum aeternam. atque illa quum eam gaudere in superioribus demonstrauerimus: concedere omnino cogimur, ad felicitatem hominum aeternam sufficere eandem.

SCHOL. I. DVRIOR iusto, ac *NATVRALISMO* fauens videri facile posset aduersio §. praeced; vltima. qua propter de ea mitiganda & ab omni suspitione liberanda ipsa hac occasione laborare, e re erit nostra. potest autem religio naturalis considerari, aut quem ad modum a DEO infinite benigno ac omnipotenti concessa est hominibus: aut quem ad modum eius exercitium se refert ad praesentem inbecillitatem humanam statumque hominum corruptum. egregie id declarant verba S. V. HANSENII meditatione de differentia religionem naturalem inter ac reuelatam vera & reali §. vii. not. 1. p. 10; quae huc transcribere iuuabit. vt eo rectius constet, inquit, qui sit noster de religione naturali conceptus, semel monendum duximus, eam nobis esse vel absolutam vel respectiuam. absolutam, quae alias paradisiaca nuncupari solet, vocamus, quae OMNIMODE PERFECTA, cuiusque ante lapsum plenarius fuisset usus, dum eam integram cognoscere homo, ac secundum illius leges integer ambulare, sicque eius ope SVMAM CONSEQUI POTVISSET BEATITUDINEM. conf. b. zum FELDEN polit. s. sect. II. c. 2. §. 18. 19. respectiua nobis illa est, quae praesentem hominis respicit statum, quamque homo, si maximas, quae ipsi post lapsum adhuc residuae, rationis vires consideremus, earum usu obtinere potest. illa, licet OMNIMODE perfecta, nobis tamen ob propriam inbecillitatem ad salutem insufficientis (ROM. VIII. 3) haec imperfecta quidem, vera tamen prioris pars, vel, si mauis, fragmentum, & magis ad-
huc

huc insufficiens ad salutem. nos quidem religioni naturali non, nisi eo sensu, quo VIR iste grauissimus eam vocat absolutam atque paradisiacam, quoque eam consideramus, quem ad modum DEVM summe benignum atque omnisapientem auctorem agnoscat, tribuere sufficientiam ad felicitatem aeternam, in quo eundem nobiscum consentientem habemus, vel exinde pater, quod hanc eius ad felicitatem hominum aeternam sufficientiam non, nisi ex conceptu infinitae benignitatis atque omnisapientiae DEI, eam hominibus concedentis, deriuauimus, nulla inbecillitatis statusque hominum corrupti iniecta mentione, relatum vero religionem naturalem ad inbecillitatem virtutum humanarum, atque praesentem hominum statum corruptum, sufficere minime felicitati aeternae ab illis obtinendae, in subsequuturis modo non concessuri sumus solum, verum ipsi etiam demonstraturi.

SCHOL. 2. IPSA autem haec religionis naturalis perfectio, quam §. praec. eruiamus, quamque in eius ad felicitatem hominum aeternam sufficientia consistere docuimus, eadem est, ex cuius conceptu disputat TINDALIVS contra existentiam reuelationis, praeceptaque huic propria, quamuis enim nullibi destinato consilio explicauerit, quid ad perfectionem religionis naturalis requirat: occurrunt tamen passim apud eundem, quae ad declarandam eius de illa mentem optime faciunt, refero huc locum quemdam c. 1. p. 18. vbi ad infinitam DEI benignitatem prouocat, indeque concludit, suppeditasse certo certius DEVM homini media, quibus immortalis animae suae consulere, atque ad felicitatem aeternam aspirare posset, da Gott sich, inquit, gegen alle andere Thiere so gütig erzeiget, und ihnen nicht nur in einem Lande, sondern an allen Orten in der Welt, genugsame Mittel zu ihrer Erhaltung gegeben hat; kan man sich wol einbilden, daß derselbe für die unsterbliche Seelen derer, welche er nach seinem Bilde gemacht, nicht so viel Liebe getragen, und denselben, zu einer Zeit so wol, als zu der andern, an einem Ort so wol, als an dem andern, genugsame Mittel zur Erlangung ihrer ewigen Glückseligkeit sollte gegeben haben? Ingleichen, da Gott die

die

die Menschen durch ihre Sinnen unterrichtet hat, was ihrem Leibe nützlich oder schädlich ist; kan man sich wol vorstellen, daß dieses unendlich gütige und gnädige Wesen für den unsterblichen Theil derselben weniger Sorge getragen, und durch das Licht ihres Verstandes ihnen nicht hinlängliche Mittel gegeben habe, dasjenige zu entdecken, was das Beste ihrer Seelen befördert? haec enim quum in sequentibus ad ius naturae adplicet; ius naturae autem atque religio naturalis ipsi sunt prorsus eadem conf. c. 11. p. 20: in aprico est, requirere eundem etiam ad religionem naturalem, ut composita sit atque tendat ad felicitatem hominum aeternam. refero huc porro, quae ex indole finis, in quem DEVS omniscipiens contulit hominibus, tam rationem sanam, quam religionem naturalem, nec ait argumenta, quibusque utramque omnia ad istum finem requisita media tradere debere, probatum dat. Wenn die Vernunft inquit p. 10. den Menschen zu dem Ende gegeben ist, um sie dadurch zur Erkänntniß des Göttlichen Willens zu bringen: so muß ja dieselbe hinreichend seyn, diese Absicht zu erhalten. & p. 12. Wenn Gott zu allen Zeiten gewollt hat, daß alle Menschen zur Erkänntniß der Wahrheit kommen sollten: und wenn es wahr ist, daß Gott niemahls die Absicht gehabt hat, daß die Menschen keine Religion, oder doch eine so unvollkommene Religion haben sollten, wobei sie denjenigen Endzweck, warum sie von einem unendlich weisen Gesetzgeber angeordnet worden nicht erreichen können, caer. haec enim manifesto sunt indicio, nullam eundem religionem, neque hinc naturalem, agnoscere perfectam, nisi media ad finem sibi praefixum sufficientia tradat, quae, si conferantur cum superioribus, in quibus finem religionis naturalis collocat in felicitate hominum aeterna: palam est, requirere ipsum ad perfectionem religionis naturalis, ut omnibus ad felicitatem aeternam necessariis mediis instruat hominem. nulla proinde nobis erit cum illo de conceptu perfectionis religionis naturalis controversia, quem suppedidat ipse, fecimus nostrum

nostrum §. praec. neque negabimus, religionem naturalem ipso hoc sensu perfectam pronuntiandam esse. hoc enim in superioribus sollicitè confirmauimus. quo quidem factò, non occasione solum nacti sumus, ex iisdem cum illo principiis disputare, verum certiores nos etiam reddidimus, nil nos inuita veritate ipsi concedere.

SCHOL. 3. ALIAM ingredi viam, atque perfectionem religionis naturalis omnimodam negare, placuit CELEB. RIEBOVIO in dem gründlichen Beweis; daß die geoffenbahrte Religion nicht könne aus der Vernunft erwiesen werden. est nimirum religio naturalis, quum auctorem agnoscat DEVM, voluntas DEI de suscipiendis ex motiuo perfectionum ipsius actionibus. est vero etiam naturalis, quapropter ratio sana ex conuenientia actionis cuiusdam cum infinitis DEI perfectionibus, & cum perfectione vniuersi debet posse adsequi, DEVM velle eandem; quem admodum ex pugna cum iisdem, DEVM nolle illam ex his igitur diiudicandum esse putat VIR. CELEB. num religio naturalis perfecta sit, nec ne? & si ratio sana cum certitudine cognoscere non possit ex conuenientia cum attributis diuinis & perfectionibus vniuersi, DEVM velle actionem, nec ex pugna cum illis, DEVM nolle eandem: imperfectam omnino pronuntiandam esse religionem naturalem §. 55, atque in ea quidem est sententia, non posse id praestare rationem sanam; quam probare annititur, partim ex eo, quoniam ratio volendi apud DEVM oriatur semper ex relatione singulorum in mundo ad vniuersum mundum, quem sibi distinctè repraesentare, cum quo singula comparare, indeque rationem volendi apud DEVM, atque adeo voluntatem ipsius, eruere ac perferuari non valeat ratio sana §. 56, 57: partim ex eo, quoniam ex attributis diuinis nonnulla semper excedunt certo respectu captum humanum, & intellectui nostro manent ignota; adeoque ex conuenientia actionis cuiusdam cum attributis diuinis non satis tuto, DEVM velle illam, inferri queat §. 58, 59: partim ex eo, quod perfectionem vniuersi concipere mente ac distinctè explicare, adeo-

C

que

que ex conuenientia cum eadem, DEVM velle aliquid, adserere
 possit nemo §. 62 nos quidem id nobis non lumimus, vt
 de recensitis his VIRI. CELEBERR. rationibus mentem nostram
 prodamus. a scopo nostro hoc nimis foret alienum. interim
 tamen, quod pace TANTI VIRI fiat, ingenue fate-
 mur, illius argumentationem nec ad refellendum TINDALIVM,
 nec ad infringendam, quam adfirmamus, religionis naturalis
 perfectionem sufficere. necimus proinde hunc in modum ra-
 tiocinia, aut prorsus non valet cognoscere cum certitudine ra-
 tio sana, quid DEVS velit: aut non valet (per princ. exclus. med.),
 prius profiteri, non foret disputare contra perfectionem religio-
 nis naturalis, sed hanc ipsam penitus conculcare. posterius er-
 go sit, necesse est. quum igitur ratio sana cognoscere valeat,
 quid DEVS velit, aut omnia, quae DEVS vult, cognoscere valet,
 aut quaedam eorum tantum, (per princ. exclus. med.) prius esse
 falsum, euincunt argumenta CEL. RIEBOVII, atque consensus
 S. S. ROM. X. 33. 34. confirmat. neque id requirit ad perfe-
 ctionem religionis naturalis TINDALIVS, ne eundem quidem
 gradum in cognitione voluntatis diuinae a singulis hominibus
 postulans. *Sch will nicht sagen, inquit p. 8, daß alle Menschen
 einen gleichen Grad der Erkenntniß haben müßten; sondern nur
 dieses; daß alle Menschen so viel davon besitzen müssen,
 als ihnen nach den Umständen, worinnen sie sich befin-
 den, nöthig ist.* posterius ergo erit amplectendum. quae-
 dam ergo eorum, quae DEVS vult, dum cognoscere valet ratio
 sana, ea, quae cognoscere valet, aut erunt sufficientia ad felicitatem
 hominum aeternam; aut erunt insufficientia. (per princ. ex-
 clus. med.) si prius; constabit omnino religioni, etiam naturali,
 sua ex mente TINDALII perfectio (schol. 2.). si posterius: ex-
 pectabit, qui perfectionem religionis naturalis defendit, quisque,
 quomodo haec cum infinita benignitate & sapientia auctoris reli-
 gionis naturalis, DEI inquam, conciliari queant.

§. XVIII. RELIGIO naturalis, eo ipso, quod est perfe-
 cta, tendit ad felicitatem hominum aeternam promouendam,
 omnes-

omnesque ad eam obtinendam requisitas actiones docet. (§. xvii.): felicitas autem isthaec aeterna est tamquam finis praefixa religioni naturali, vt per eam, actionesque ab illa praescriptas, tamquam per media, ducatur homo ad istam (§. xiii.). quum autem finis non possit obtineri, nisi adhibitis medijs ad eum ducentibus (per princ. ontol.): homo etiam ad felicitatem aeternam adspirare non poterit, neglectis, quas inperat religio naturalis, actionibus.

§. XIX. ACTIONES religionem naturalem constituentes ope rationis sanae ab ipso DEO praescribuntur (§. ii.). DEVS autem nil facit frustra (per princ. theol. nat.). nulla proinde actio ad religionem naturalem pertinens est superuacanea; sed quaelibet requiritur necessario ad promouendam felicitatem hominum aeternam.

§. XX. SVBLATO vel neglecto vno requisito necessario, tollitur id, cuius est requisitum (per princ. ontol.). quum igitur vnaquaeque actio religionis naturalis requiratur necessario ad promouendam felicitatem hominum aeternam (§. xix.): neglecta vel vna tantum earum, sicubi suscipienda erat, promoueri per religionem naturalem amplius nequit felicitas hominum aeterna.

§. XXI. OMNES in vniuersum homines intellectus inbecillitate, adfectuum insultu inpotenti, vel peruersis saeculi moribus abreptos, aut maximam partem, aut in quibusdam saltem religionis naturalis regulas migrasse, ac contraria cultui DEI, quem sana ratio docet, suscepisse & perpetrasse, tristis loquitur experientia, & conscientiae apud vnumquemque testimonium, qua propter, quum neglecta vel vna tantum religionis naturalis regula, vbi erat obseruanda, promoueri amplius per religionem naturalem nequeat felicitas hominum aeterna (§. xx): omnibus in vniuersum hominibus aditus per religionem naturalem ad felicitatem aeternam est praecclusus.

SCHOL. I. REDIBVNT ad hanc propositionem, quod impraesentiarum per religionem naturalem nemo se amplius felici.

felicitatis aeternae participem reddere queat, omnia quae in se-
 quentibus ad conciliandam cum perfectione religionis naturalis
 reuelationis existentiam sumus allaturi argumenta. qua propter
 de ea confirmanda maxime nos oportet esse sollicitos, atque
 id quidem optime exinde effici credidimus, quod violata atque
 neglecta est, saltem in quibusdam, ab omnibus in vniuersum
 hominibus religio naturalis, est enim hoc adsertum ita con-
 paratum, vt, si quis illud in dubium vocare, & iure quodam
 negare posset, aut si quis forte existat, qui cum certitudine &
 sine dispendio veritatis adfirmare valeat, se numquam & ne
 in leuissimis quidem religionis naturalis praecepta, deseruisse:
 vix nobis, subesse argumenta, persuadeamus, quibus iste ad agnos-
 cendam atque amplectendam reuelationem ratione duce possit
 praeparari & commoueri. e contrario autem, quum ipsa ex-
 perientia illud abunde sit confirmatum; quum a quolibet ad
 semet ipsum attento, & susceptas per vitae spatium actiones ad
 praecepta religionis naturalis studiose & serio referente, facile
 illud nobis concessum fore certo sumus certiores; atque adeo,
 quum ne vnus quidem NATVRALISTARVM, quoad nobis
 constat, adserere ausus fuerit, se atque alios normam religionis
 naturalis exacte sequutos esse: ex eo, tamquam principio, cuius
 veritas est explorat, rationes subducere, atque firmissimis cer-
 tissimisque argumentis praeclusum esse omnibus hominibus adi-
 tum per religionem naturalem ad felicitatem aeternam ex ratio-
 nis principiis conprobare, nobis videtur, conferri interim
 merentur eodem modo necessitatem ac existentiam reuelationis
 secundum rationis sanae principia vindicantes celeberr. IAC.
 CARPOVIVS theol. reuel. dogmat. §. 5. §qq. & celeberr.
 MART. KNVTZIVS in dem Philosophischen Beweis von
 der Wahrheit der Christlichen Religion, §. 13. §qq. quo um
 tamen in argumentatione notatu dignum, eos non tam probare,
 quod neglecta religione naturali per eam nemini amplius pateat
 aditus ad felicitatem aeternam, quam euincere potius, quod
 omnes in vniuersum homines violata legē diuinā iustitiam DEI
 vindi-

vindicativam poenasque infinitas in se prouocarint, adeoque post
 morrem statum summæ infelicitatis expectare debeant; quæ qui-
 dem omnia rite sese habere, atque legitime consequi, minime dif-
 fremur. verum enim vero quum NATVRALISTAE & in his
 TINDALIVS per integrum cap. iv. plurima contra iustitiam DEI
 vindicativam excipiant; quum posterior in primis nullum poenis
 aeternis concedere locum videatur; quum diserte adferat p. 70.
 zwischen einer zeitlichen Beleidigung gegen das ganze Mensch-
 liche Geschlecht, und dem ewigen Elende nur eines einzigen Men-
 schen, ist nicht die geringste Verhältniß: so kan auch eine un-
 aufhörliche Qual keine Vessering werden; quumque ibidem
 haud obscure inuauat, argumenta pro infinitudine poenarum in-
 fernalium tam ex scriptura sacra, quam ratione petita, iustum mereri
 exatrem: mirenda nobis omnia duximus, quæ consideratio iu-
 stitiæ DEI vindicativæ atque poenarum infinitarum docere pote-
 rant. praesertim quum ex sola felicitatis aeternæ ope religionis
 naturalis obtinendæ iactura ex huius neglectu orta satis super-
 que existentiam reuelationis defendi posse confidamus. quod au-
 tem ad peccatum primorum hominum, vna cum funestis ipsius
 consecrariis, in horum posteros propagatum attinet: dubium qui-
 dem est plane nullum, quin ex conceptu illius aequè commode
 demonstrari possit, quod in praesentia nemo amplius per religio-
 nem naturalem ad felicitatem aeternam penetrare queat. attam-
 en quoniam eiusmodi peccatum, & illius vna cum consecrariis
 eiusdem in alios propagationem, aut plane ignorat ratio sibi reli-
 et; aut saltem non, nisi e longinquo adsequitur; adeoque argumen-
 tum ex eo desumptum supponat hominem, qui non modo reuelationem
 aliquam, verum ipsam etiam christianam admittit: non
 licet nobis ex solis rationis principiis disputaturi ad illud prouo-
 care, arbitrati sumus. caeterum, consentire optime doctrinas
 sanæ rationis cum reuelationis, de eodem testimoniis luculen-
 ter satis ostendit auctor GERMANICI. A. SANCTA. FIDE no-
 mine latens in der Uebereinstimmung vernünftiger und geoffen-
 bahrtter Gründe in den Lehren von dem Stande der Unschuld und
 dem Verlust desselben. Hamb. 1741. SCHOL.

SCHOL. 2. QVAMVIS autem, quod schol. prae. iam monuimus, concedant NATVRALISTAE, violatam esse ab omnibus in vniuersum hominibus religionem naturalem: ereptam tamen eo ipso esse hominibus omnem spem adsp. randi per religionem naturalem ad felicitatem aeternam, concedere nolunt. poenitentiam enim, atque emendationem naturalem, quas pariter commendat religio naturalis, longe sufficientissima credunt esse media ad expiandum omnem illius neglectum: atque dummodo vtrique locum apud se concedat homo, non obstaré, sibi persuadent, antecedentem impietatem felicitati aeternae ab illo obtinendae. arrident haec quoque TINDALIO; neque id mirum, eandem igitur fouens sententiam, non solum poenitentiam atque emendationem naturalem vnica media omnibus conuenientia pronunciat p. 80. coll. p. 685. sqq.; verum emendationem etiam naturalem tanti f. cit. vt omnem rationem, felicitatem hominum aeternam impediens, & poenas diuinas exigentem, eadem tolli existimet. Kann wol etwas deutlicher seyn, inquit p. 735. 736. als dieses: da Böses ihun die einzige Ursache des göttlichen Mißfallens ist: so muß ja die Unterlassung Böses zu ihun, und das Gegenheil ausüben, dieses Mißfallen wieder wegnemen? So lange die Menschen in ihren Sünden fortfahren: so lange sind sie beständig die eigentlichen Gegenstände der göttlichen Zhdung. Wenn aber dieselben ihre Sünden fahren lassen, und sich so aufführen, wie es mit ihrer vernünftigen Natur übereinkommt; so werden sie hinwiederum die eigentlichen Gegenstände seines Wohlgefallens. obuiam iuere his dubiis dudum, quotquot insufficientiam poenitentiae & emendationis naturalis ad reparandam felicitatem aeternam defenderunt philosophi pariter atque theologi; vt itaque illis refellendis superfedere, ac paucis nos expedire, commode queamus. habet tamen adferre aliquam celeb. KVTZII de poenitentia naturali, quatenus dolore & tristitia ob antecedentem religionis naturalis neglectum absoluitur, meditationem, dignam, quae curatius perpendatur. Sie (die Verennung des ungehorsams) ist in gewisser Absicht,

sicht, obseruat inter alia eaque egregia l. c. §. 24. p. 29. eine natürliche Folge und Strafe der Verbrechen, welche so bald sie in ihrer Gestalt und Folgen eingesehen werden, nichts anders als ein Betrüben, Traurigkeit und Schmerzen erwecken können, welches man denn die Reue nennet. quod autem ad emendationem naturalem attinet, negamus ac pernegamus, quod TINDALIVS adfirmat, tolli eius ope omnem, quae felicitatem hominum aeternam impedit ac irritam reddit, rationem. haecce enim in ipso sita est religionis naturalis neglectu. neglectus vero iste dependet a facto quodam, siue actione libera, vel commissa, vel omissa, cuius effectus atque consecutaria, vi nexus rerum in mundo, in diuiliis vagantur. quodsi igitur antecedentem impietatem insequens emendatio tollere possit rationem felicitatem aeternam impedientem: deberet posse eadem non factam modo infectum reddere; verum omnia etiam eius consecutaria impedire & tollere, quum autem factum reddi infectum queat nullum (per princ. contrad.); quum consecutaria actionum liberarum naturalia separari ab iisdem, nisi per miraculum, nequeant (per princ. cosmol.): palam est, rationem felicitatem aeternam impedientem & poenas diuinas exigentem manere; licet vera emendatio ac sollicitus religionis naturalis cultus insequatur eius neglectum.

§. XXII. OB neglectas quasdam religionis naturalis partes omnibus in vniuersum hominibus aditus per religionem naturalem ad felicitatem aeternam est praecclusus (§. XXI.). aut igitur plane non penetrabunt illi ad felicitatem aeternam; aut alia, & a religionis naturalis praeceptis diuersa media requiruntur, vt illis eam obtineant. (per princ. exclus. med.). prius autem quum auerteretur vehementer mens humana, quippe quae instinctu quodam naturae, summoque desiderio in omne id fertur, quod statum eius perfectionem reddit (per princ. psych.); sponte patet, quam maxime indigere hominem nouis & a praeceptis religionis naturalis diuersis mediis ad obtinendam felicitatem aeternam.

§. XXIII.

§. XXIII. VI infinitae benignitatis suae quaerit ac vult DEVS aeternam hominum felicitatem (per princ. theol. nat. conf §. x.). quum autem, qui finem vult, debeat etiam velle media (per princ. ontol. & psychol.); homo autem ad obtinendam felicitatem aeternam indigeat novis, atque a praeceptis religionis naturalis diuersis mediis (§. xxii.): nullum quoque est dubium, quin DEVS suppeditare velit homini noua media ad obtinendam felicitatem aeternam. verum enim vero voluntas DEI, atque hinc etiam eius benignitas praesupponit obiectorum in se possibilitatem (per princ. theol. natur.), qua propter media haecce felicitatis aeternae noua in se debent esse possibilis; si DEVS ea actu homini suppeditare debeat.

§. XXIV. VI limitum, quibus circumscripta est ratio humana (per princ. psychol.) non omnia nosse potest, quae forte dantur, ad felicitatem aeternam obtinendam media. DEVS autem est omnifapiens (per princ. theol. natur.), atque omnia nouit media ad finem aliquem, adeoque ad felicitatem hominum ducentia (per definit. sapient. infinit.). fieri proinde facile potest, vt nouerit DEVS media ad felicitatem hominum aeternam ducentia, quae rationi latent. quum igitur nullum sit dubium, quin DEVS suppeditaturus sit homini noua felicitatis aeternae media, dummodo ea sint possibilis (§. XXIII.); fieri autem facile queat, vt dentur atque sint possibilis eiusmodi media, praeter ea quae ratio sana nouit, (per super.) fieri: etiam potest, vt DEVS homini noua & a praeceptis religionis naturalis diuersa actu suppeditet media.

SCHOL. FIERI igitur posse, vt DEVS noua felicitatis aeternae media suppeditet homini, praef. §. tantum inferimus: non autem, quod actu illud, aut praestiterit, aut praestiturus sit. neque plura ex solis rationis principiis euincere nos potuisse credimus: licet enim certissime sciat ratio sana, suppeditaturum esse DEVM noua istiusmodi media, dummodo in se sint possibilis;

lia; & licet probabile admodum sit, nosse DEVM plura, praeter religionem naturalem, media felicitatis aeternae, eaque in se possibilia: cum certitudine tamen neutrum adferere poterit, adeoque anceps semper haerebit; num DEVS eiusmodi media noua. Etu suppeditare, & eorum ope homini neglectam remere felicitatem aeternam restituere possit, conf. celeb. CARPOV. l. c. §. 29. schol. r.

§. XXV. FINIS non potest obtineri, nisi adhibitis mediis (per princ. ontol.). felicitas ergo aeterna obtineri nequit ab homine, nisi is adhibeat noua & a religione naturali diuersa media (§. XXII. XIII.) quum autem ignoti nulla sit cupido, nullus vsus (per princ. psychol.): noua felicitatis aeternae media non possunt adhiberi ab homine, nisi innotescant ipsi. quum igitur homo quam maxime istiusmodi indigeat mediis nouis (§. XXI.); fieri autem facile queat, vt DEVS ipsi noua eius generis media suppeditet (§. XXIV.): non necesse solum est ratione hominis, vt ea ipsi innotescant; verum fieri etiam facile potest, vt DEVS illa homini reddat nota.

§. XXVI. QVAECVNQVE DEVS nota reddit homini, ea reddit nota illi, aut mediate mediante ratione, aut immediate (per princ. exclus. med.). noua ergo felicitatis aeternae media, quorum notitia homo indiget, & quae DEVS nota ipsi reddere potest (§. XXV.), innotescere debent homini, aut mediate mediante ratione, aut immediate, fac igitur, nota facere DEVM istiusmodi media homini mediate mediante ratione: quum omnia, quae mediante ratione innotescunt, sola ratio sana doceat (per defn.): noua etiam felicitatis aeternae media doceret sola ratio sana; adeoque, quum sola ratio sana alia, praeter religionem naturalem, ignoret felicitatis aeternae media (per exper. conf. §. x. & schol.); forent partes ipsius religionis naturalis (§. 1.). at enim vero debent istiusmodi media diuersa esse a praeceptis religionis naturalis (§. XXI.). non potest ergo DEVS ea homini reddere nota

D

media-

mediate mediante ratione (per princ. contrad.) nota ergo fieri debent immediate. qua propter quum indigeat homo notitia nouorum felicitatis aeternae mediorum; & fieri quoque possit, vt eiusmodi media DEVS homini nota reddat (§. xxv): non necesse solum est ratione hominis, sed ratione DEI fieri etiam potest, vt illa homini immediate a DEO nota reddantur.

SCHOL. de possibilitate modi, quo DEVS homini immediate aliquid notum reddere queat, hic multa non disputabimus. qui omniscientiam atque omnipotentiam DEI admittit, anxius circa haec minime haerebit, conf. interim celeb. CARPOV l. c. §. 37.

§. XXVII. QVAECVNQVE DEVS nota reddit homini, ea debent omnia, vt veracitatis diuinae, certissimae esse veritates per princ. theol. natur.). quaecunque ergo de nouis felicitatis aeternae mediis ipsi reddit nota, certissimas etiam continebunt veritates. quum igitur ratione hominis necesse sit, & ratione DEI fieri facile possit, vt noua felicitatis aeternae media immediate reddantur nota (§. xxvi.): indiget etiam homo veritatibus immediate a DEO patefactis, & DEVS eas facile exponere potest. Complexus veritatum a DEO immediate patefactarum dicitur reuelatio. homo igitur indiget reuelatione, & DEVS fortasse eam suppeditare potest; siue, quod idem est, fieri potest, vt detur reuelatio.

§. XXVIII. PVGNARE ea dicuntur, quae se inuicem tollunt, siue, quae simul esse nequeunt. quaecunque ergo se inuicem non tollunt, siue, quae simul esse possunt, eorum nulla datur pugna. (per conuers. per contrapos.)

§. XXIX. PERFECTIO religionis naturalis sita est in sufficientia illius ad felicitatem hominum aeternam; haec vero postulat, vt omnibus ad hanc obtinendam necessariis mediis hominem instruat (§. xvii). quidquid ergo non tollit hanc eius sufficientiam ad felicitatem hominum aeternam, illud non pugnat cum eius perfectione.

SCHOL.

SCHOL. VIDES ex his, quid requiratur ad pugnam existentiam reuelationis inter & perfectionem religionis naturalis. perfectio enim religionis naturalis non potest tolli, nisi tollatur eius sufficientia ad felicitatem aeternam sufficientia haec eius tolli nequit, nisi ea aut defectus in mediis arguatur, aut media, quae tradit, minus ad commodata fini suo pronuncientur. quod si igitur per existentiam reuelationis tolli posset religionis naturalis perfectio: existentia reuelationis deberet esse argumento, quod religio naturalis, non omnia eaque necessaria ad felicitatem aeternam tradat media, quod nisi est; nulla religionis naturalis perfectione n inter, & existentiam reuelationis intercedit pugna.

§. XXX. PER reuelationem, quam dari posse euicimus (§. xxvii.), declarabit DEVS hominibus noua media ad felicitatem aeternam aspirandi (§. xxv.). noua istiusmodi media declarabit illis, quoniam in praesenti statu perdito media a religione naturali suppeditata non sufficiunt (§. xxii.) media a religione naturali suppeditata in praesenti hominum statu perdito non sufficiunt ob antecedentem religionis naturalis, saltem in quibusdam, neglectum (§. xxi) omnis religionis naturalis insufficientia ex neglectu illius orta, est tantum ratione hominum eam negligentium, eorumdemque culpa, talis. existentia igitur reuelationis, nil, nisi insufficientiam religionis naturalis culpa hominum introductam ponit.

§. XXXI. A neglectu medii ad eius insufficientiam ad finem non procedit argumentatio (per princ. ontol.). insufficientia religionis naturalis culpa hominum introducta dependet vniue ab eius neglectu (§. xxx. xxi.) ergo ex insufficientia religionis naturalis culpa hominum introducta ad eius in se insufficientiam argumentari non licet.

§. XXXII. EXSISTENTIA reuelationis nil, nisi insufficientiam religionis naturalis culpa hominum introductam, ponit (§. xxx). quum autem ab insufficientia religionis naturalis culpa hominum introducta ad eius in se insufficientiam argumentari non liceat (§. xxxii.): existentia reuelationis non est argumentum, quod religionis naturalis in se insufficientiam ponit.

§. XXXIII. PONERE entis alicuius in se insufficientiam, & tollere eius in se sufficientiam, sunt eadem (per def. eiusdem). quidquid ergo non ponit religionis naturalis in se insufficientiam, illud neque tollit eius in se sufficientiam. existentia ergo reuelationis non tollit religionis naturalis in se sufficientiam §. xxxii.)

§. XXXIV. QUIDQUID non tollit religionis naturalis in se sufficientiam, illud non pugnat cum eius perfectione (§. xxix.). existentia ergo reuelationis non pugnat cum perfectione religionis naturalis, siue, quod idem est, nulla inter utramque datur pugna (§. xxxiii.).

SCHOL. I. SVBLATA igitur e medio omni, quam inter perfectionem religionis naturalis & existentiam reuelationis obseruare credit TINDALIVS, pugna: conciliasse omnino nobis utramque videmur. patebit enim factum ex haecenus dictis, sufficientem in se ad felicitatem aeternam esse ac manere religionem naturalem, atque hinc etiam perfectam; neque vllum eius defectum suppleri per reuelationem, quae illi est superaddita. luculentissima potius ea exhibet infinitae benignitatis & sapientiae diuinae testimonia: quippe quae illius ope optima sufficientissimaque concessit hominibus media, eaque felicitati illorum aeternae hunc in modum subordinauit, ut haec frustrari nulla ratione potuissent, si illis rite fuissent vsi. attamen quum homo crimine, proh dolor! suo exciderit felicitate ista aeterna: non destitutum gravissimis rationibus, dignumque sane infinita benignitate & sapientia diuina erat opus, subuenire miseriae humanae nouis mediis, atque religioni naturali addere reuelationem, cuius proinde hae essent partes, ut hominibus parum sollicitis religionis naturalis cultoribus, eiusque saniora praecepta maximam partem violantibus, media manifestet ac offerat, quibus violatio religionis naturalis tolli, in rectam ipsi reduci viam, atque aeternae iterum felicitatis capaces reddi queant. qua quidem ratione conferendo hominibus religionem naturalem infinitae benignitatis & sapientiae legibus satis abunde fecit DEVS; atque suppeditando

reue-

reuelationem sufficientissimas sequutus est rationes: vt itaque perfectio religionis naturalis cum existentia reuelationis per quam commode constare queat.

SCHOL. 2. RESTAT adhuc dubium, quod moueri nobis posset, & a TINDALIO haud recte actu mouetur. ex mediis felicitatis aeternae nouis & a praeceptis religionis naturalis diuersis, quibus hominem indigere, & quae DEVM fortasse suppeditare posse (§ XXII. XXIV.) contendimus, quaeque media restitutionis adpellare lubet, concepimus coexistentiam reuelationis cum perfectione religionis naturalis. quum autem DEVS ab aeterno vi omniscientiae suae praeuiderit (per princ theol. natur.), fore, vt omnes in vniuersum homines religionis naturalis praecepta migrent, atque indigeant his restitutionis mediis: posset moueri quaestio, nonne infinitae DEI sapientiae & benignitati, nec non religionis naturalis perfectioni conueniens magis fuisset, ipsa haec restitutionis media inferere religioni naturali, atque per eam potius tradere hominibus, quam peculiaris reuelationis ope exponere? TINDALIO hanc fuisse mentem, ex verbis eius variis in locis haud obscure colligere licet. Ita enim, Da Gott beständig inquit p. 689 690. zum besten seiner Geschöpfe beschäftigt ist: was könnte man ir ol für eine Ursache ansetzen, daß derselbe nicht gleich im Ursange ihnen dasjenige sollte bekant gemacht haben, was zu ihrem Besten dienet, sondern dieses bis auf die Zeiten Tiberius verschoben hätte. itemque p. 701. interrogat: Warum denn diese Abgänge, (der natürlichen Religion) so bald man sie entdecket hat, nicht sind ersetzt worden? Oder, hat eine unendliche Weisheit dieselben nicht eher wahrgenommen, als bis auf diese letzte Zeiten. cuncta haec si in formam syllogismi redigantur: hoc dabunt ratiocinium: quaecumque DEVS ad felicitatem hominum aeternam requisita fore praeuidit, ea per religionem naturalem manifestare, ipsi erat conueniens.

atqui media restitutionis requisita fore ad felicitatem hominum aeternam praeuidit DEVS.

D 3

ergo

ergo media restitutionis per religionem naturalem manifestare DEO erat conueniens, minorem, qui media ista restitutionis requiri (§. XXII) demonstrauimus, quique omniscientiam diuinam veneramus, non recusabimus admittere, ad maiorem proinde tota res redit, eamque negamus. licet enim ex indole sapientiae & benignitatis diuinæ, atque connexæ cum his perfectionis religionis naturalis, tueri eam velit TINDALIVS: facillimo tamen negotio ostendi potest, fieri posse, vt non sit conueniens infinitæ DEI sapientiae atque benignitati indicare per religionem naturalem, quæ ad felicitatem hominum æternam requisita fore præuiderat, sapientiam enim æque ac benignitatem diuinam præsupponere obiectorum in se possibilitatem, constat inter omnes (per princ. theol. natur.). quodsi igitur euicerimus, fieri posse, vt impossibilis in se sit manifestatio quorundam, quæ ad felicitatem hominum æternam requisita fore præuidit DEVS, per religionem naturalem: euicimus etiam, non conuenire eorum manifestationem per religionem naturalem sapientiae & benignitati DEI infinitæ. atque hoc facillime demonstrari posse credimus. manifestatio enim per religionem naturalem requirit dictamina sanæ rationis (§. I.). dictamina sanæ rationis requirunt perspicentiam nexus rerum in mundo (per defn. rationis). perspicentia nexus rerum in mundo nititur contemplatione rerum in mundo, (ratio enim præsupponit intellectum, per princ. psych.). contemplatio rerum in mundo requirit, vt occurrant in mundo obiecta contemplanda. (non entis enim nulla est adfectio, nulla contemplatio. per princ. ontol.) manifestatio igitur per religionem naturalem requirit obiecta in mundo, quæ contemplari possunt, quibuscumque ergo cognoscendis non sunt, quæ contemplata ansam præbent obiecta in mundo, ea non possunt manifestari per religionem naturalem (per conuers. per contrap.). quam autem ob infinitum fere veritatum numerum nullam inuoluat contradictionem, quod requirantur, & a DEO præuideantur requiri ad felicitatem hominum æternam, quibus cognoscendis non sunt, quæ contemplata ansam præbent, obiecta in mundo: possi-

possibile est, vt etiam ad felicitatem hominum aeternam requiri praeuideat DEVS, quae non possunt manifestari per religionem naturalem; & quorum hinc manifestatio per religionem naturalem minime conuenit sapientiae ac benignitati DEI infinitae qua propter maior ista hunc in modum erit limitanda, vt non valeat, nisi de illis, quae ex contemplatione obiectorum in mundo occurrentium rationis sanae auxilio erui ac cognosci possunt. qua quidem ratione minor iterum concedit. cequis enim tuebitur, occurrere in mundo obiecta, quae contemplata ad cognitionem mediorum restitutionis sufficientium hominem perducant? quod si autem ad conatas ideas recipere se aliquis, atque adferere velit, concreare potuisse DEVM singulis hominibus notitiam mediorum restitutionis: fatemur, conciliare nos id ipsum non posse cum sapientia diuina. concreari enim notitia haec mediorum restitutionis nemini potuisset sine miraculo. adeoque tot enata forent inde miracula, quot exstiteri vnquam, quot in praesentia exsistunt, & quot adhuc exstiruri sunt homines, tanto autem miraculorum numero non erat opus in conferenda per reuelationem hominibus mediorum restitutionis notitia. qua propter, quum sapientiae diuinae non conueniat, cumulare praeter necessitatem miracula (per princ. theol. natur.): neque conueniebat ipsi, per conatas potius ideas, quam per reuelationem, communicare cum homine notitiam mediorum restitutionis.

SCHOL. 3. ABSOLVTIS igitur, quae ad conciliandam cum perfectione religionis naturalis exsistentiam reuelationis sufficere nobis videntur: progredimur ad eius immutabilitatem, atque de ea cum praeceptis reuelationi propriis concilianda erimus, sed paucis, solliciti

§. XXXV. MUTABILE est, quod aliter esse potest; aliter autem esse potest aliquid varia ratione. fieri enim potest, vt, aut ea, quae non habebat olim, accipiat; aut quae habet, iterum amittat (per princ. excl. med.). porro dum accipit, quae non habebat olim: potest accipere, aut omnia, dum nihil haberet antea; aut quaedam tantum (per princ. excl. med.).
si quae

si quaedam tantum accipit : accipere ea potest , vel ita , vt eorum loco alia amittat ; vel ita vt nihil plane amittat (per princ. cit.). ita etiam , dum amittit , quae habebat antea , amittere potest , aut omnia ; aut quaedam tantum : & si quaedam tantum : amittet ea , aut ita , vt eorum loco alia accipiat ; aut ita , vt nihil eorum loco accipiat (per princ. cit.). ex his , quo aliquid aliter fieri potest , modis , modus , quo illud quaedam ita accipit , vt eorum loco alia amittat , & modus , quo quaedam ita amittit , vt eorum loco alia accipiat , inter se coincidunt , & non , nisi pro vno , venditari possunt . remanent proinde quinque modi , quibus aliquid fieri aliter potest ; quorum . 1) est , quando aliquid omnia accipit , dum nihil haberet antea , qui dicitur productio . 2) quando omnia , quae habet , amittit , qui audit destructio . 3) quando quibusdam , quae in eo insunt , sublatis alia succedunt , adpellandus substitutio . 4) quando praeter ea , quae iam habet , alia insuper accipit , qui erit additio siue augmentum . 5) quando eorum , quae habet , nonnulla demuntur , imminutio dicendus . in quocumque igitur cadit aut productio , aut destructio , aut substitutio , aut augmentum , aut denique imminutio , illud aliter esse potest , & per consequens est mutabile . (per defin.). oppositum mutabilis est immutabile ; opposita hinc ratione declarandum , quod sit , quod aliter esse nequit . immutabile igitur omnem productionem , destructionem , substitutionem , augmentum , atque imminutionem respuit .

§. XXXV. RELIGIO naturalis praecipuam quamdam constituit iuris naturalis partem . (per princ. iuris natur.). quum igitur mutatio in parte inferat simul mutationem totius (per princ. ontolog.) ; ius naturale autem sit immutabile (per princ. iuris natur.) : religio etiam naturalis , tamquam pars illius , erit immutabilis .

SCHOL. IMMUTABILITAS religionis naturalis alia quoque ratione ex ipso eius conceptu facillime demonstrari potest . est enim ea modus colendi DEVM , quem sana ratio docet , de-

termi-

Determinatus: modus autem colendi DEVM, quem sana ratio do-
 cer, determinatus inuoluit, vt dictamini rationis sanae conue-
 nienter ex motiuo perfectionum diuinarum, suscipiantur actio-
 nes (§. 1), inuoluit proinde conceptus religionis naturalis
 (1) actiones, quas suscipere iubet ratio sana, (2) actiones ex mo-
 tiuo perfectionum diuinarum suscipiendas. vterque character im-
 mutabilitatem illius confirmat. quod ad priorem enim attinet,
 constat, rationem sanam in dictaminibus suis sequi semper ae-
 ternas ac immutabiles naturae leges; ita vt vox rationis sit et-
 iam vox naturae. confer. illustr. WOLFF. in den vernünfti-
 gen Gedancken von der Menschen Thun und lassen,
 §. 23. b. KOETILER iur. natural. §. 359. quascunq; igitur
 actiones suscipere iubet ratio sana, illas suscipere etiam iu-
 bent leges naturae. leges naturae sunt immutabiles (per princ.
 iur. natur.) actiones igitur, quas suscipere iubent leges natu-
 rales, immutabiliter erunt suscipiendae: atque hinc etiam, quas
 suscipere iubet ratio sana, quum autem (per super.) omnes a-
 ctiones ad religionem naturalem pertinentes eandemque con-
 stituunt sint tales, quas suscipere iubet ratio sana: omnes et-
 iam actiones, quae constituunt religionem naturalem, immuta-
 biliter erunt suscipiendae, qua propter quum partes simul sum-
 tae sint idem cum toto (per princ. ontolog.): de vniuersa quoque
 religione naturali valebit, quod sit immutabilis. quod autem
 ad characterem posteriorem attinet, vi cuius actiones religionem
 naturalem constituentes suscipi debent ex motiuo perfectionum
 diuinarum; quum omne motiuum consistat in repraesentatione
 moralitatis actionum mentem determinante (per defin.): a-
 ctiones, quae ex motiuo perfectionum diuinarum suscipi debent,
 suscipi debent, quoniam perfectiones diuinae moralitatem earum
 repraesentant. perfectiones autem diuinae sunt absolute immu-
 tabiles (per princ. theol. natur.). moralitatem igitur actionum
 repraesentabunt immutabiliter. qua propter quum propter hanc
 moralitatis repraesentationem suscipi debeant actiones, quae sunt
 religionis naturalis; repraesentatio autem moralitatis actionum
 per perfectiones diuinas sit immutabilis; actiones, quae sunt

E

reli-

religionis naturalis, immutabiliter erunt suscipiendae, atque hinc iterum religio naturalis immutabilis erit pronuncianda.

§. XXXVII. RELIGIO igitur naturalis est immutabilis (§. xxxvi. & schol.). quidquid autem est immutabile, illud respuit omnem productionem, destructionem, substitutionem, augmentum & imminutionem (§. xxxv.). religio ergo naturalis nullius productionis, destructionis, substitutionis, augmenti & imminutionis est capax.

§. XXXVIII. PRODVCTA foret religio naturalis, si in tempore demum instituta factum esset obligationis per sanam rationem ad suscipiendas ex motiuo perfectionum diuinarum actiones. destrueretur, si ista obligandi vis aboleretur, atque humanum genus ab ea liberaretur. substitueretur in ea aliquid, quando quaedam praeceptorum eius cum aliis commutarentur, auangeretur, simulac plures, ac olim, praescribere ac docere iuberetur actiones. imminueretur, quando doctrinarum eius quaedam vi sua obligandi priuarentur. quum igitur religio naturalis nullius productionis, destructionis, substitutionis, augmenti, aut imminutionis sit capax (§. xxxvii.): fieri etiam nec potuit, nec potest, vt ea initium ceperit, vt finem inueniat, vt quaedam doctrinae illius cum aliis commutarentur, vt in numerum praeceptorum eius noua referantur, vt denique ex illis quaedam tollantur atque aboleantur.

SCHOL. QUIDQVID initii in tempore expers est, illud aucti, ex usu loquendi metaphysicis recepto, aeternum a parte ante. quia igitur religionem naturalem initium capere nullo modo potuisse, adfirmamus, aeternam quoque eam a parte ante omnino pronunciamus: idque eo magis, quum alias etiam ius naturae, cuius non infima illa est pars, aeternum dicatur, quo autem sensu id fiat a nobis, latere facile neminem poterit. n. que enim obsecrum nobis esse, quemquam credimus; hominem, adeoque etiam ipsius animam, & quod sequitur, rationem sanam existere in creatione demum coepisse, vt itaque, quum ratio sana sit magistra religionis naturalis, per desit; neque haec ratio prior, atque aeterna esse possit. haec enim summa, si de actuali praeeptione religionis naturalis exsequutione accipiuntur. libentes concedimus. n. hilo tamen minus nexus inter perfectiones diuinas & actiones ab hominibus ex illarum motiuo, secundum, distamen rationis

tionis sanæ, suscipiendas, quo constat vniuersa religio naturalis concipitur mente; simulac conceptus tam perfectionum diuinarum, quam hominis fuit datus, quod quum ab æterno fuit; dubium quoque est nullum, quin religio naturalis in se sit æterna; licet subiecta, a quibus erat exsequenda, atque actuale eius exercitium, in tempore demum exsistere coeperint. placuit de æternitate religionis naturalis a parte ante pauca hæc monere, quoniam notio immutabilitatis eiusdem, de qua disputamus, id postulare, nobis videbatur. poteramus alias his orationibus supersedere, qui religionem hoc loco consideramus, quatenus antecedenter ad reuelationem sese habet, atque iam existit. missuri sumus hinc quoque in sequentibus prorsus, quæ ad æternitatem religionis naturalis a parte ante spectant; contenti, dummodo ostenderimus, quod ex indole reuelationis minime sequatur, neque vt religio naturalis per eam aboleri, neque vt eius doctrinæ ab illa cum alijs commutari, neque vt ei noua addere præcepta, neque vt numerum eorum imminuere necessario debeat. hæc enim sufficere putamus ad conciliandum cum immutabilitate religionis naturalis præcepta reuelationi propria, in producenda enim religione naturali nec esse nec esse posse, reuelationi partes aliquas, vnus facile quisque largietur.

SCHOL. 2. REDEVN F autem ex ipsa quoque TINDALLI mente cuncta circa hoc momentum ad quaestionem; num præcepta reuelationi propria, aut abrogent religionem naturalem; aut commutent eius præcepta cum nouis, aut nouas ipsi addant doctrinas, aut denique nonnulla ex eius præceptis tollant? hac enim ratione adfectiones immutabilitatis religionis naturalis obflare autumat præceptis reuelationi propriis, eademque ea propter his opponit, ita enim ab initio statim docet, fieri nullo modo posse, vt religioni perfectæ, & quod sequitur, naturali, aut addatur aliquid, aut dematur. Kan nun (inquit p. 56) eine auf alle Weise vollkommene Religion geändert werden? kan man wohl bey derselben etwas hinzusetzen oder davon thun? oder mus sie nicht vielmehr so unverändert stehen, als der Urheber derselben ist? Ich will so viel sagen: Kan wol die Offenbarung zu einer so vollkommenen, allgemeinen und unveränderlichen Religion das Geringste hinzusetzen? quo facto, palam proficitur, tueri nulla posse ratione veritatem religionis cuiusdam, cuius præcepta, vel in leuissimis, discedant a præceptis religionis naturalis. Wenn dieselbe (eine einseitige Religion) inquit p. 93 in einem einzigen Stücke von der natürlichen und vernünftigen Religion abweicht, auch nur in dem allgeringsten Umstand: so ist dieses, ob in ein gewisser Grund, wodurch alles andere was man zur Verbesserung derselben beybringen kan, ganz und gar untauglich gemacht wird. Wenn nun dieses wahr ist; müssen denn nicht die natürliche Religion und die

äußere Offenbarung, wie zwey Kerbholzer ganz genau auf einander passen: so das kein anderer Unterschied zwischen ihnen bleibet, als die Art und Weise, wie sie bekant gemacht worden? *plura adferre, opus haut erit.* Haec enim documento sufficiunt, dummodo ex modis immutandi religionem naturalem supra recensitis nullum per praecepta reuelationi propria oriri posse euicerimus: si illis nos rite omnem, quam TINDALIUS vrget, pugnam praeceptorum reuelationi priorum cum immutabilitate religionis naturalis, atque cum hacce illa conciliaffe.

§. XXXIX. REVELATIO, diuina, quam dari posse adsequitur ratio sana (§. XXVII.), est complexus veritatum immediate a DEO patefactarum (per defin.). DEVS autem nil facit sine ratione sufficienti (per princ. theol. natur.). rationes itaque sat graues adfint, necesse est, quae DEVM moueant, vt patefaciat immediate homini veritates. rationes veritatum immediate patefaciendarum sat graues enascuntur, partim ex indole veritatum, si ita sunt comparatae, vt cognosci illae, saltem non omnes, alia ratione nequeant, partim ex conditione hominum, si illi earum notitia maxime indigent. DEVS itaque non patefaciet immediate homini veritates, nisi istae ita sint comparatae, vt homo earum notitia maxime indigeat, neque tamen eas, saltem non omnes, alia ratione cognoscere queat. quum igitur omnes ad religionem naturalem sem pertinentes veritates a sola ratione sana iam possint adsequi: veritates immediate a DEO patefaciendae, saltem non omnes, veritates religionis naturalis esse nequeunt, & quod sequitur, ab his debent esse diuersae. reuelatio igitur tradere debet veritates a doctrinis religionis naturalis diuersas. veritates a doctrinis religionis naturalis diuersae, & ope reuelationis expositae, dicuntur nobis praecepta reuelationi propria. erunt proinde reuelationi diuinae praecepta ipsi propria.

SCHOL. EIDEM huic thesi, quod reuelationi sua debeant esse praecepta propria haud parum lucis adfundunt, eamque confirmant, quae in superioribus (§. XXII. sqq.) de mediis felicitatis aeternae nouis, & a doctrinis religionis naturalis diuersis, euicimus; & quibus, ad concipiendam mentem, & vindicandam, ex folis rationis principiis, reuelationis existentiam non infeliciter omnino nos vsos esse, credimus. caeterum in his praeceptis reuelationi propriis vera laet atque genuina ratio, ob quam peculiarem DEVS hominibus

illis concedere potuit reuelationem. doctrinas autem rationi soli
 iam peruias, dummodo coniungantur cum praeceptis reuelationi
 propriis, in ipsa reuelatione non commode solum locum obtinere
 posse, ob indiuisum cum hisce nexum; verum ad haec illustranda
 & menti hominum clarius repraesentanda in vera qualibet reuelatio-
 ne necessario, censemus, requiri, vt paucis multa dicamus, est
 finis reuelationis primarius ac proprius, vt veritates rationis captum
 excedentes, quas nos quidem praecepta ipsi propria adpellamus,
 quaeque theologis articuli fidei puri audiunt, cognoscendas homini
 proponat. quo autem sensum earum diuinum rite adsequatur ho-
 mo; quo eo clarius intelligat, atque eo facilius admittat, necesse
 est, vt communes cum ratione sana habeat reuelatio doctrinas, &
 obuepitates etiam, quae iam sunt rationis, siue articulos fidei mixtos,
 quos quem ad modum theologi loqui amant, proponat. conf. interim b.
 SCHOTTII diff. de medijs cognoscendi existentiam & diuinitatem
 scripturae. §. 179. cap. II, §. IV. CARPOV. I. c. §. 39. 40. schol. illustr.
 WOLFFII metaph. germ. §. 1011. 1012.

§. XLII. REVELATIO tradere debet, veritates a doctrinis religio-
 nis naturalis diuersas; siue, debent esse illi praecepta, quaedam propria
 (§. XXXIX & schol. coll. §. XXII. sqq.; idque cum in finem, vt sup-
 pletur defectum religionis naturalis culpa hominum introductum
 (§. XXX. & XL.) defectus religionis naturalis culpa hominum
 introductus ortus est ex neglecto ab hominibus cultu DEI, quem sana
 ratio docet. (§. XXI.) qua propter quum istum defectum supplere
 debeant praecepta reuelationi propria; defectus autem iste fit idem
 cum absentia illius, quod est neglectum in cultu DEI, quem sana ra-
 tio docet; praecepta etiam reuelationi propria supplere debent id,
 quod neglectum est in cultu DEI, quem sana ratio docet. id, quod
 neglectum est in cultu DEI, quem sana ratio docet, spectat ad religio-
 nem naturalem (§. I.); praecepta ergo reuelationi propria id supple-
 tura spectare pariter debent ad religionem; licet ad eam spectare ne-
 queant, quatenus ea est naturalis (§. XXXIX. & XXVI.). praecepta ergo
 reuelationi propria erunt partes religionis.

§. XLIII. PRAECEPTA reuelationi propria spectant ad religio-
 nem (§. XL.) religio autem, quam sit modus colendi DEVM de-
 terminatus; omnis vero DEI cultus nil aliud postulet, quam, vt su-
 scipiantur ex motu perfectionum diuinarum actiones; inuoluit,
 1) actiones suscipiendas, siue officia, & 2) motiua ad istas suscipiendas,
 ex perfectionibus diuinis petita (§. I.). motiua porro ex nulla re peti
 possunt, nisi ea sit cognita (per princ. psychol.) inuoluit proinde
 etiam religio 3) notitiam perfectionum diuinarum. praecepta ergo
 reuelationi propria spectabunt etiam ad notitiam perfectionum diuina-
 rum largiendam; ad motiua agendi ex illis suppeditanda, atque ad
 officia

officia hinc exsequenda, quum autem a doctrinis religionis naturalis debeant esse diuersa (§. XXXIX.); tendent vel ad manifestandas alias perfectiones diuinas, vel ad alia agendi motiua ex illis deriuanda, vel ad alia officia commendanda, vel ad omnia haec simul & coniunctim spectata.

§. XLII. CVRATIVVS si omnia expendimus, reuelatio operaeceptorum sibi propriorum alias manifestabit perfectiones diuinas, quando homines de perfectionibus ac attributis, nec non operibus diuinis, rationi sibi relictae inperuis erudit. alia motiua subministrabit, quando ex his perfectionibus & operibus diuinis rationi soli ignotis ad suscipiendas actiones certas concludit. alia commendabit officia, quando actiones praescribit, de quibus nec nouit, nec statuit quidquam sola ratio sana. coniunctim autem haec omnia simul proponet, quando homini perfectiones diuinas rationis sanae captum excedentes notas reddit, atque ex his agendi motiua petit, & quidem ad officia rationi sanae prorsus ignota. reuelatio ergo, aut de perfectionibus & operibus diuinis rationi inperuis hominem erudit, & ex iisdem motiua agendi ipsi subministrat; aut officia docere, de quibus nil docet ratio sibi relicta; aut denique cuncta haec coniunctim proponere debet. (§. XLII.).

SCHOL. 1. NVM autem horum tantum aliquod; an vero omnia coniunctim, tradere actu debeat id quidem determinandum est ex indole insufficientiae religionis naturalis culpa hominum introductae, & praeceptis reuelationi propriis supplendae.

SCHOL. 2. LICEAT haec illustrare reuelatione, qua nititur religio christiana. in ea omnia, quae tradere potest reuelatio (§ praef.), coniunctim tradita deprehenduntur. sunt enim illi propria sibi praecepta de perfectionibus & operibus diuinis. v. gr. de mysterio trinitatis, de mysterio incarnationis, de beneuola eaque vniuersali DEI voluntate de reparando genere humano lapsu, de opere redemptionis & satisfactionis per secundam deitatis personam, reliqua praescribit officia, ad quae non obligat religio naturalis, nimirum fidem & vsum sacramentorum. suppeditat denique alia, ac ratio sana sibi relicta, agendi motiua, dum ex medio reconciliationis & opere satisfactionis CHRISTI motiua petit, quibus tam officiorum sibi propriorum, quam officiorum a religione naturali iam praeceptorum, obseruationem vrget.

§. XLIII. QUID QUID neque religionem naturalem vi sua obligandi priuare, neque eius veritates cum aliis commutare, neque noua ipsi praecepta addere, neque doctrinarum eius quasdam tollere potest, illud non pugnat cum immutabilitate religionis naturalis (§. XXVIII. XXXVII. XXXVIII. & schol.).

§. XLIII. PRAECEPTA reuelationi propria non spectant, nisi ad tollendam

dam insufficientiam religionis naturalis culpa hominum introductam (§. XXXIX. XXX.). insufficientia religionis naturalis culpa hominum introducta sita est in ipso cultus eius neglectu. (§. XXX.) praecepta ergo reuelationi propria non spectant, nisi ad tollendum id, quod neglectum est ab hominibus in cultu religionis naturalis. quidquid autem non tollit nisi neglectum mediū illud non potest tollere mediū ipsum (per princ. ontol.) praecepta ergo reuelationi propria non possunt tollere, siue abolere, cultum religionis naturalis.

SCHOL. POTEST etiam haec thesis hoc modo demonstrari. praecepta reuelationi propria non tendunt nisi ad suppleendum defectum religionis naturalis (§. XXXIX. XXII.). supplere alterius defectum nil aliud est quam praestare id, quod alter praestare haud valet. praestare id, quod alter praestare non valet, & tollere alterum, qui idem illud praestare non valet, sunt omnino disparata (per defn.) quum igitur a disparato ad disparatum non valeat consequentia (per princ. logic.): a praestante id, quod alter praestare non valet, ad tollentem alterum argumentari non licet. praecepta igitur reuelationi propria defectum religionis naturalis suppletura non possunt eo ipso religionem naturalem tollere. siue quod idem est, ab existentia praeceptorum reuelationi priorum ad. sublat in per. ea, atque abolitam religionem naturalem. N. V. C.

§. XLV. EODEM, quo §. antec., modo demonstramus etiam, non posse per praecepta reuelationi propria officiorum religionis naturalis quaedam tolli siue numerus eorum minui. quum enim ea tendant vnice ad tollendam insufficientiam religionis naturalis culpa hominum introductam & in ipso eius neglectu sitam (§. XXXIX. XXX.); neglectus autem cultus religionis naturalis idem sit cum neglectu officiorum eiusdem (§. XXI.); tendent etiam vnice ad tollendum neglectum officiorum religionis naturalis. neglectus autem officiorum religionis naturalis, & ipsa haec officia, sunt longe diuersissima (per defn.) quidquid ergo vnice tendit ad illum tollendum, horum sane nullum tollere potest nullum ergo officiorum religionis naturalis tollere, possunt praecepta reuelationi propria, neque hinc numerus eorum imminuere.

§. XLVI. ADDERE alteri aliquid nil est aliud quam efficere, vt quae antea non fuerant eius partes fiant eius partes partes religionis naturalis sunt eius doctrinae & praecepta (per defn.) quo igitur religioni naturali aliquid addatur, requiritur, vt quae antea non fuerant eius doctrinae & praecepta, fiant eius doctrinae & praecepta. doctrinae atque praecepta religionis naturalis fieri nequeunt, quae non sunt veritates soli rationi sanae perueniae (§. 1.) verum enim vero, quae praecepta reuelationi propria tradunt, nec sunt nec esse possunt, veritates soli rationi sanae perueniae (§. XXXIX. XXVI.)

fiori

fieri igitur etiam nullo modo potest, ut praecepta reuelationi propria religioni naturali non addant praecepta.

§ XLVII. COMMUTARE nihil est aliud, quam tollere aliquid, & transferre eius in locum aliud quoddam. commutatio ergo in partibus entis cuiusdam non potest institui, nisi tollatur aliquid, & addatur nouum (per defn.). quae si applicamus ad religionem naturalem; commutare nequit in ea aliquid, quod neque praecepta eius tollere neque noua ipsi addere potest. quum igitur praecepta reuelationi propria nulla profus ratione aliquas religionis naturalis veritates tollere queant (§ XLV.); quum etiam nullas ipsi addere valeant doctrinas (§ XLVI.); fieri quoque non potest, ut per ea praecepta religionis naturalis cum aliis commutentur.

§ XLVIII. PRAECEPTA reuelationi propria neque vniuersam abolere possunt religionem naturalem (§ XLIV.); neque commutare eius praecepta cum aliis (§ XLVII.); neque noua ipsi praecepta addere (§ XLVI.); neque denique numerum praeceptorum eius imminuere (§ XLV.); praecepta igitur reuelationi propria non pugnant cum immutabilitate religionis naturalis (§ XLIII.).

SCHOL. QVODSI de his consulimus, quam sequimur christiani, reuelationem; egregie cuncta haec suo confirmat exemplo eadem. quum enim potiora sint capita religionis naturalis, ut iubeat amare DEVM, & proximum eodem, quo nosmet ipsos, gradu; haec omnia non modo intacta atque non mutata relinquit ista; verum eadem etiam commendat officia LVC X. 28. attamen quum nemo amplius hominum his reuelationi cum religione naturali communibus praeceptis facere queat satis; suppeditat illa media, quae obstant, quominus per istum neglectum eorum labefactari felicitas hominis aeterna, atque consecraria illius sancta ferire cum queant. doctrinas autem de hisce mediis suas non addit, aut admiscet religionis naturalis veritatibus; sed praeter eas tradit sibi que seruat proprias.

§ XLIX. CVM perfectione religionis naturalis non pugnat existentia reuelationis (§ xxxiv.) cum immutabilitate autem illius non pugnat existentia praeceptorum huius priorum (§ XLVIII.). nulla proinde religionis naturalis perfectionem & immutabilitatem inter & existentiam reuelationis, praeceptorumque huius priorum intercedit pugna.

§ L. EVANESCIT igitur hac ratione omnis, quam insignem autumat, quam tanto venditat opere, quaque fere sola nititur TINDALIVS, vtriusque pugna. atque sic, quod promissimus, sitisse credimus CONCILIATAM CVM PERFECTIONE ET IMMUTABILITATE RELIGIONIS NATURALIS EXISTENTIAM REVELATIONIS PRAECEPTORVMQUE HVIC PROPRIORVM.

F I N I S,

ULB Halle

003 856 674



3





1742, 61

Q. B. V. D.
TIO. METAPHYSICA
AM. CVM. PERFE.
IMMVTABILITATE
ATVRALIS. EXSISTENTIAM
IS. IMMEDIATAE. PRAE.
RVMQVE. HVIC
ROPRIORVM

CONTRA
TINDALIVM
SISTENS

QVAM
AVSPICIIS. DIVINIS
AMPLISSIMO. PHILOSOPHORVM
ORDINE

AD. VARNVM. ACADEMIA
EPTEMB. A. M DCCXLII

L. LOCOQVE. CONSVETIS
ICE. TVEBVNTVR

PRAESES
VS. QVISTORPIVS

ET. SOCIETATIS. TEVTONICAE
NAE. FLORET. MEMBRVM
T. RESPONDENS

IOANNES. QVISTORPIVS
S. ET. LL. CVLTOR

DSTOCHII
NO. ADELERIANO

